Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 25

Quelle:
Copyright:

quet, dein *Joh. Fabri* Ep. *Vien.* ut praevio tam impreſſo, quam mſ. teſtimonio firmatur, continet *Biblia ſacra* vulgatae lectionis praemiſſis paſſim *Hieronymi* Praefationibus, et Summariis illis, quae deinceps etiam in *Biblia gloſſata* cooptata ſunt. Atque Ordo quidem Librorum hic eſt: *Pentateuchus*, *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *Reges*, *Paralipomena*, *Esdrae L. I. Nehemias*, *Esdrae* L. III. apocryphus, qui hic inſcribitur II. *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, *Liber hymnorum uel ſoliloquiorum prophete de chriſto*, id eſt, Pſalterium, *Parabolae*, *Eccleſiaſtes*, *Cantica*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*, *Prophetae* IV. majores, et XII. minores, *Machabaei* cum duplici *Rabani* Prologo ad *Lodouicum* Regem et *Geroldum* Archidiaconum. IV. *Evangelia*, *Epiſtolae Pauli*, *Actus Apoſtol. Epiſtolae Canonicae*, ubi I. *Joh.* c. 5. in Teſtimonio terreſtri poſtpoſito deſunt verba: *et hi tres unum ſunt;* demum *Apocalypſis*, et notae illae vocum hebr. et graec. *Interpretationes.* Margines omnes manus Sec. XVI. notulis lectu difficillimis conſcribillavit.

XVI.

R. 563 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 330. 4. per duas columnas perquam nitide, ſed minute ſcriptus et illuſtratus coloribus complectitur ſacra U. T. *Biblia* e vulgata verſione Prologis *Hieronymi* et conſuetis Argumentis inſtructa, et a ſecunda manu in margine elimata, ad quae, quod ſequitur, obſervo. *Fol.* 113. p. 2. *Liber II. Esdrae* inſcribitur *Neemie prophete*, et deinceps *Liber III. Esdrae* non receptus in canonem adpellatur II. *Fol.* 156. poſt clauſulam: *Explicit pſalterium*, et Rubricam: *Incipiunt prologi*, nempe in Libros Salomonis, interjectus eſt ſpurius ille Pſalmus: *Puſillus eram inter fratres meos* &c. *Fol.* 233. *Machabaei* non habent Prologos *Rabani*, ut alias. *Fol.* 288. Epiſtolae *Canonicae* ſuccedunt *Actis Apoſtolorum* ante *Paulinas*. *Joh.* I. c. 5. ſic legitur: *Quia tres ſunt qui teſtimonium dant in* (*terra* deletum) *celo pater uerbum et ſpiritus ſ. et hij tres unum ſunt et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra ſpiritus aqua et ſanguis et iſti tres unum ſunt. Fol.* demum 305. Epiſtolae ad *Coloſſenſes* nulla quidem Rubrica, magna tamen Litera adjuncta eſt apocrypha illa ad *Laodicenſes.*

Fol. 315. charactere majore ſed συγχρονῳ adſcripta ſunt haec Adminicula hermeneutica: 1) Summaria omnium Capitum IV. *Evangeliſtarum* cum primis cujusvis Capitis verbis. 2) Verſus Titulos Librorum biblicorum complexi, atque hic inter alios:

Hinc colocen. Teſſal. bini poſt Laodicenſes.